



**D**iehardus ille literarum desiderio sese in Hirs-  
 gauense monasterium contulit, atq; ibidem  
 in uirum doctissimum euasit. Itaq; abbas Hirsfel-  
 densis cœnobij electus est. eam functionem ea de-  
 xteritate administrabat, ut eius uirtutes omnibus  
 patefierent. Cum itaq; præsul Hildesheimēsis mor-  
 tuus esset, omnium consensu nonus eius ecclesiæ  
 antistes electus fuit. Eam dignitatem cum adeptus  
 esset, nihil intentatum reliquit, quo suum Episcopa-  
 tum legibus & ædificijs passim exornaret. Itaq; ca-  
 thedrale templum plurimum decorauit, atq; sem-  
 per in eo existens, docendo & orando alijs exem-  
 plo fuit. Cum hoc modo per uiginti octo annos in-  
 genti gloria ibi præstaret, tandem anno 956 obiit, atque magno piorum luctu  
 apud suos sepultus fuit. Anon. Crantz.